



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. II. Quare Habitus Fidei maneat in Peccatore.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

422. Probatur 3. ex absurdo. In sententia adversariorum sequitur, Habitum Fidei defacto frequenter esse intensiorem, quam sit ipsa Gratia sanctificans, ac ceteri habitus: consequens videtur inconueniens. Sequelam admittunt adversariorum aliqui, & probatur. nam antecedenter ad justificationem potest quis elicuisse valde perfectum actum fidei, eumque frequentasse, & sic habitum fidei multum intendisse ultra gradum Gratia, quae deinde confertur in Justificatione. Minor verò declaratur. Nam ceterorum Habituum intensio & incrementum semper pari passu procedit, cum incremento & intensione Gratia, ita quidem, ut si quis consequatur incrementum Gratia ex opere operato, omnes pariter habitus virtutum supernaturalium intenduntur: ergo idem dicendum videtur de habitu Fidei & Spei. Confirmatur. Nam in patria Lumen Gloriam succedit Fidei: atqui Lumen Gloriam nunquam est intensius Gratia sanctificante: ergo neque dicendum est, Fidem fuisse intensiorem. Scio quid ad haec responderi possit & soleat, sed non tollunt argumentis suam probabilitatem.

423. Probatur ultimum à priori. Fides est Habitus supernaturalis, & Potentia quaedam: atqui potentia, quae ex natura rei non sunt dispositiones praequisitae, non infunduntur prius quam earum radix seu natura, cuiusmodi est gratia respectu Fidei: ergo cum nulla cogat necessitas dicendi oppositum, Fides non infunditur ante Gratiam. Neque refert, quod Fides maneat, in peccatore sine gratia, quod tamen in alijs potentijs non contingit. Non inquam refert. Nam vel hoc provenit ex libero Dei decreto, contra exigentiam naturalem, ut tenet Lugo, vel si connaturaliter manet, ut contendit Ripalda & alij, illud non est alienum à natura; sic videmus in semine emortuo manere connaturaliter virtutem feminalem, quae tamen produci non potest antecedenter ad formam viventem feminis. & univrsim minus requiritur ad conservari, quam ad primum produci.

424. Obijciunt 1. Habitus Fidei confertur sine gratia: ergo etiam sine illa infunditur. Ad hoc jam responsum est, negando consequentiam, ob rationes allatas.

Obijciunt 2. Haereticus quando redit ad fidem, dicitur Fidelis, etiam antequam iustificetur: ergo debet habere Habitum Fidei. Probat consequentiam: nam in peccatore ideo manet habitus fidei, quia adhuc est fidelis, licet sit peccator. Nego Conseq. & ejus probationem, quia, si bona esset, probari posset etiam alias virtutes morales manere in peccatore, v. g. qui est luxuriosus, potest esse amans Iustitiae, & verè potest dici iustus aut misericors, aut clemens; ergo haec denominationes non proveniunt ab habitu supernaturali, sed ex eo, quod ratione ultimi actus non revocati, censeatur objectum adhuc habitualiter voluntarium.

425. Obijciunt 3. Tridentinum sess. 6. c. 7. dicit, Fidem, nisi ad eam Spes & Charitas accedat, nec vñre perfectè cum Christo, nec corporis ejus vivum membrum efficere: ergo imponit posse adultum accipere fidem sine Charitate, adeoque & sine gratia. R. Negando consequentiam: Concilium agit ibi contra haereticos, adhaerentes, in Justificatione solam Fidem intuentes, hoc improbat Concilium, quia fides sine charitate mortua est, potestque esse in peccatore: quia debet accedere Charitas, non quidem postea tempore, sed etiam temporis simultate, nam etiam talia accedere dicimus: sic dicimus Sapientiam non esse admodum laudabilem, nisi accedat Fortas, & observantiam vñus praecepti non sufficere, nisi accedat obsequantia ceterorum, & doctrinam Magistrum non sufficere, nisi accedat attentio discipuli &c.

426. Obijciunt 4. S. Thomam q. 64. a. 3. sed ibi manifestè loquitur de fide actu. Ceterum pro nobis stat pluribus in locis. nam q. 62. a. 4. ait: *Ordine quidem generationis fides praecedit Spem, & Spes charitatem NB. secundum actus, nam habitus simul infunduntur.* Non potest clarius loqui. Item 3. p. q. 85. a. 6. in C. Respondendo dicendum, quod in Virtutibus non attenditur ordo temporis quantum ad Habitum, quia cum virtutes sint connexae, omnes simul incipiunt esse in anima. sed dicitur una earum esse prior altera ordine naturae, quia consideratur ex ordine actuum. Et paulò post pressè dicit, actum fidei posse tempore praecedere ipsum habitum, actum autem & habitum Charitatis simul esse tempore cum habitibus aliarum virtutum.

CONTROVERSIA II

Quare Habitus Fidei maneat in peccatore.

EX Concilio Trid. sess. 6. c. 15. constat, Habitum Fidei manere in peccatore, quamvis non peccaverit peccato Infidelitatis, hoc est, actu interno, nolendo credere, quae credenda esse cognovit, & hoc negare ad minimum temerarium esset. Nam licet Tridentinum hoc non distinctis verbis definiverit de Habitu, ex contextu tamen colligitur, de Habitu esse sermonem. Poterat autem PP. Concilij hanc veritatem colligere et S. Scriptura. Nam S. Paulus 1. Cor. 13. postquam dixisset: *Si habuero omnem fidem, Charitatem autem non habuero &c.* statim subiungit loquens de eodem Fide: *nunc autem manent Fides, Spes, Charitas.*

427. Querunt Theologi Rationem, si potius congruentiam, cur Deo placuerit hoc delictum facere, inter Habitum Fidei & Spei ex una parte (nam & Spes manet, nisi peccato Infidelitatis aut desperationis expellatur, Spes enim sine Fide non manet) & ceteros virtutum habitus ceteri tradistinctos ab Habitu Charitatis, ut destructi per peccatum

peccatum mortale Gratia & Charitate, cetera quoque virtutes morales destruerentur, non item Fides & Spes. Nam spectata habituum infusorum natura, connaturalius futurum videtur, si cum Gratia perirent, in qua sunt radicati, sicut potentiae vitales in anima.

428. Placet præ alijs illa Congruentia quae communiter assignatur. Voluit nimirum Deus, peccatorem posse à suo peccato resurgere, & agere poenitentiam: ad hanc autem agendam voluit esse necessarijs Actus Fidei & Spei: voluit ergo in homine manere principium resurgendi, nempe habitum Fidei & Spei, quamdiu per actus contrarios isti Habitus non destruerentur: nullum autem peccatum est Fidei contrarium nisi peccatum Infidelitatis: ergo per hoc solum voluit Fidem tolli.

429. DICES 1. Hac ratione probaretur, etiam aliarum virtutum habitus debuisse manere, quia etiam possunt servire ad resurgendum. Nego paritatem: nam licet possint servire, non sunt tamen eorum actus determinatè necessarij, sicut Fidei & Spei.

DICES 2. Saltem sequitur, debere manere omnes ceteras Virtutes Morales, excepta illa, contra quam peccatum commissum est. v.g. si peccavi peccato intemperantiae, manere debet Justitia, nam huic non est contrarium peccatum Intemperantiae. Nego sequelam: quia cum Justitia non sit determinatè necessaria ad resurgendum, voluit Deus in illa dispensare, sed destruit gratia tanquam radice etiam destruere.

430. DICES 3. Saltem sequitur, debere manere habitum Poenitentiae, siue deinde ea sit specialis virtus, siue habitus Charitatis: nam Poenitentia non minùs est necessaria, quam Fides & Spes. Negatur iterum sequela. Nam imprimis Charitas ideo non manet, quia omne peccatum mortale est illi contrarium, repugnans nempe cum ejus Actu Primario, qui est; Amare Deum super omnia. Sed neque Poenitentia specialis debebat manere, quia cum possit quis agere poenitentiam ex motivis diversarum Virtutum, nulla determinatè est necessaria: quapropter cum nec deberent manere omnes, nec major esset ratio de Vna quam de Altera, nulla debebat manere.

431. DICES 4. Ergo non solum Fidei Habitus intellectualis, sed etiam Habitus pia affectionis manebit in peccatore. Concedo sequelam: immò & habitus ille qui elicit dictamen & Judicium de Credibilitate seu credentitate objecti, quia par est de his ratio.

Dubium incidens, de Influxu Habituum in Actus Praeceptos.

432. Contra dicta posset objici & virgeri difficultas non levis, quam movit Card. de Lugo in tr. M. S. de Gratia. Si enim Habitus Fidei in hunc finem conservatur in peccatore, ut adsit principium resurgendi medijs actibus Fidei, tunc

necessè erit, Habitum Fidei influere in Actus Fidei, quibus homo disponitur ad Justificationem. Atqui non potest in illos influere: ergo Ratio allata non est solida. Major patet. Minor probatur. Repugnat mutua causalitas: ergo habitus non influit in illos actus. Probatur consequentia. Actus Fidei est obligatorius, & formaliter exclusivus peccati Infidelitatis, quo expelleretur habitus: ergo habitus conservatur dependenter ab actu fidei: ergo si habitus influeret in actum, esset mutua dependentia & prioritas inter habitum & actum.

433. Cessit huic difficultati (quae procedit de alijs etiam habitibus, immò & de Gratia sanctificante) Card. de Lugo, & concessit, Habitum supernaturales nunquam influere in actus qui sunt sub praecepto, & qui hic & nunc excludunt actum peccaminosum. Verum hæc doctrina semper mihi visa est durissima: ex ea enim deduci potest, vix unquam Habitus supernaturales exercere officium suum propter quod sunt instituti, & quidem in Habitu fidei id clariùs sequitur, quia actus fidei semper sunt exclusivi peccati infidelitatis, proceduntque ex obligatione credendi.

434. Nascitur præsens difficultas ex falso principio & persuasione, quòd Deus offerat concursum in posteriore signo, post visam existentiam actus primi proximi influentis in actum secundum: hinc enim sequitur, quòd Deus non possit offerre concursum indifferenter visam existentiam habitus, quia sic offerret concursum ad conjungendum habitum cum peccato infidelitatis, ad quod homo haberet concursum etiam supposito habitu. Hoc principium impugnavimus in lib. 1. agentes de simplicitate Decretorum divinatorum, ubi etiam duplicem viam ostendimus, defendendi determinationem ad individuum actus liberi: vel per decretum disjunctivum præcedens Scientiam Mediam, vel per ipsum Decretum prædefiniens, & verificativum veritatis conditionata opposita &c. quæ doctrinam suppositam.

435. Ad difficultatem propositam Respondeo, quòd Habitus fidei non pendeat ab actu fidei à priori, sed tantum à posteriori. Decretum enim, quo Deus offert suum concursum indifferenter ad actum fidei A. vel actum Infidelitatis A. non præsupponit Scientiam Visionis de existentia Habitùs, sed præcedit ipsam Scientiam Mediam & dicit: *Volo ut Petrus habens in instanti A. habitum fidei, & instanti B. cetera requisita ad credendum vel discredendum, eliciat vel actum fidei A. dependenter ab Habitu, vel actum infidelitatis B. cum destructione habitus.*

DICES 1. Habitus pertinet ad actum primum proximum, quia immediatè influit: ergo deberet posse conjungi etiam cum peccato infidelitatis. quia totus actus primus proximus debet posse conjungi cum actibus oppositis. Respondeo negando conseq: probationis assumptum distingo: quoad inimpedibilia, concedo, quoad impedibilia, nego.

FFF 3

436. DICES

436. DICES 2.^a Omnia tenentia se ex parte actus primi proximi, debent esse inimpedibilia per actum secundum. Distinguo: quoad illa, quæ sunt principia utriusque actui communia, & ad utrumque actum essentialiter præsupposita, concedo: quoad ea quæ ad unum solum actum prærequiruntur, nego. & talis est habitus fidei, qui ad solum actum fidei præsupponitur: ad actum autem infidelitatis neque habitus fidei, neque negatio illius habitus præsupponitur.

437. DICES 3.^a Voluntas non potest se determinare ad actum dependentem ab Habitu, nisi præsupponat pro priori naturæ Habitum existentem etiam pro illo instanti quo ponitur actus: ergo debet præsupponi determinatio ad existentiam habitus. Item Scientia media non potest videre, quod homo se determinaret ad actum bonum dependentem ab habitu, nisi sub hac conditione: si pro priori naturæ existeret habitus: hoc autem videtur impossibile. Nam si pro priori naturæ existeret habitus, non potest se voluntas determinare ad actum malum, quia hic non potest in eodem instanti reali conjungi cum habitu, quem expellit: ergo nec ad actum bonum. R. Distinguendo primum consequens: ergo debet præsupponi determinatio impedibilis, concedo, inimpedibilis, nego. Determinatio autem impedibilis est ipsum decretum prædefiniens, præsupponens scientiam mediam, quæ videt, quod si homo pro instanti B. haberet habitum fidei, determinaret se ad actum bonum A. dependentem ab Habitu. quo viso Deus prædefinit habitum non tantum pro instanti reali priore, sed etiam pro instanti quo ponetur actus, quæ prædefinitio impediretur, si homo se determinaret ad actum malum; quæ determinatio videretur per scientiam mediam etiam si actus fidei posset conjungi cum actu infidelitatis, nam determinatio ad actum infidelitatis sicut non indiget habitu fidei, ita non indiget negatione habitus: fieret enim illa determinatio etiam si habitus esset conjungendus cum actu infidelitatis; quia inconjugalitas non provenit ex eo, quod homo habens talem habitum, non posset se determinare ad actum malum, sed ex alio capite, nempe ex perfectione habitus.

438. Hinc facile intelligitur, quomodo habitus sit destruibilis vel impedibilis per actum malum, etiam si præcedat pro priori naturæ ad actum bonum, sicut est impedibilis scientia media & Prædefinitio actus boni. Videt enim Deus per scientiam mediam; Si Petrus haberet pro instanti B. talem actum primum proximum, vteretur habitu ad actum bonum: quo viso prædefinit Deus actum bonum per habitum: quod si oppositum vidisset, prædefiniret permissivè actum oppositum cum destructione habitus pro signo posteriore. Haberet se ergo Habitus, sicut se haberet species impressa ad cognitionem A. concurrens casu quo Deus decrevisset illam speciem destruere in instanti B. si homo illam non vteretur,

quo casu species esset per accidens & essentialiter inconjugalibilis cum omissione cognitionis A.

CONTROVERSIA III.

In quonam subjecto reperitur Fides.

439. Queritur 1. Vtrum in Angelis Veritas sit Habitudo Fidei. Negatur ab aliquibus. Sed jam communis affirmat cum S. Thoma. Ratio est, quia decebat Angelos non minus quam homines salutem consequi per obsequium intellectuale; imò magis hoc Angelis conveniebat, utpote qui sunt spirituales, nec possunt peccando mereri, sed solis actibus suarum potentiarum. Unde à fortiori idem dicendum est de primis parentibus, adhuc in statu Justitiæ Originalis constitutis, de quibus Michael Bajus præcipue asseruit, absurdum esse sententiam, tribuere illis supernaturale Donum Fidei.

440. Queritur 2. Vtrum Habitus Fidei maneat in damnatis. R. Cum S. Thoma, negativè, quamvis contrarium docuerit Durandus & Alensis; & probabile putaverint Salmeron & Valentia. Ratio est, quia non elicimus actum fidei ob honestatem ejus, & reverentiam Dei, nec illuminantur dono gratiæ supernaturalis. Accedit autoritas D. Dionysij, asserentis, damnatos carere omnibus donis divinis, tam secundum habitum, quam secundum actum.

441. Obijciunt 1. Illud Jacobi. 1. *Quidam quia unus est Deus: & demones credunt, & tremunt.* R. Demones quidem plura credere, sed non fide supernaturali, nec eximere quæ debetur Auctoritati divinæ, sed præterquam signa credibilitatis ex se asserere possunt. S. Jacobus solum volebat asserere, fidem sine operibus esse mortuam, qualiscunque fides sit.

Obijciunt 2. Manet in damnatis Characterus, cur non & fides? R. Characteris finem non cessare in inferno, cum non sit operatio, sed designatio in confusionem damnatorum.

442. Queritur 3. An Habitus & actus fidei maneat in Animabus purgatorij. Dubium Hurtadus, sed ceteri affirmant. Rationes quæ afferri possent ad probandum, illas animas habere evidentiam in attestante, non sunt efficaces, & non procedunt de omnibus objectis v.g. de Misterio Trinitatis. Deinde etiam si haberent aliquam evidentiam, non tamen tantam quæ excluderet fidem: si enim Angeli habuerunt obvias revelationes, quidni & illæ animæ?

443. Queritur 4. An Fidei Actus & Habitus maneat in Beatis. Affirmant Alensis, Durandus, Argentinas. Ripalda de actu fidei propriè dicto negat manere, negat item manere habitum fidei sub denominatione Fidei, affirmat tamen manere quoad suam physicam Entitatem. Alij communiter omnes negant, etiam de Habitu, cum quibus R. 1. Actum Fidei propriè dictum